✣

In Dei Filio sibi dilectis, RR. adm. PP. Prioribus, Provincialibus, Diffinitoribus et Electoribus Provinciarum Hispaniæ in Hispania commorantibus, Ordinis Prædicatorum, ad proximum Generale Capitulum celebrandum, de jure spectantibus; necnon Religiosis omnibus ejusdem Ordinis.

NOS FR. VINCENTIUS BERNARDOS DE QUIRÓS,

Sacræ Theologiæ Professor, Prior Provincialis Provinciæ Bœthicæ, ac ejusdem Ordinis in Hispaniarum et Indiarum Regnis humilis Pro-Vicarius Generalis et servus, salutem.

Vix ad Ordinis Præfecturam in his regnis ministerio legis fuimus evecti, quando prima, eaque accuratissima nostra sollicitudo fuit, Nuntiaturam Apostolicam illicò consulere, ad quasdam enodandas dubitationes, quæ circa Capituli Generalis electivi convocationem, et celebrationem apparere videbantur, tàm in contextu Bullæ *Inter graviores*, quàm in Brevi *In Supremâ* Summi Pontificis feliciter regnantis. Enodatis, igitur, præfatis dubiis, beneque perpensis præsentium temporum angustiis, firmitèr in nostro animo habuimus, omnia, quæ in hac materia ac negotio evenire possent, ex consensu illius Auctoritatis conficere. Circunstantiæ, Patres dilectissimi, et fuerunt, et sunt insolitæ ac graves: inque tanto negotiô, nihil est nimis, quia nihil est satis: Volumus namque inoffenso incedere pede.

Prolongatio, itaque, celebrationis Capituli Generalis electivi, fuit vobis denuntiata sub die decima mensis Septembris proximè elapsi; et quamvis ad eam decernendam, modo et ordine tunc assumptis, Ordinis leges abundè sufficerent, voluimus tamen ultrò approbatione præfatæ Auctoritatis esse munitos. Causæ, atque pericula, quæ tunc premebant, modò premunt. Sicque aliorum Ordinum comitia, tam Generalia, quam Provincialia, attentis circunstantiis pro nunc prorogata manent. Nos quoque, cum simus in præsenti rerum statu, prædictæ Auctoritatis opportuno, ac debito fulcimento sufficienter roborati, ac muniti, indicimus, et denuntiamus prolongationem celebrationis venturæ nostri Generalis Capituli electivi, donec aliud decernatur: de quâ quidem, cum evenerit, vos omnes certiores reddendi sollicitam curam habebimus. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Quibuscumque, &c. In quorum fidem, &c. Datis in hoc nostro Prædicatorum Matritensi Cœnobio Sanctissimi Rosarii, die septima mensis Maii anni millesimi octingentesimi trigesimi quinti.

Fr. Vincentius Bernardos de Quirós,
Pro-Vicarius Generalis Ordinis.

Reg. pág. 24.
Fr. Joannes à Deo Pastor,
Magister et Socius.